



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate; de Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non Dissertationem Theologicam de Probabilitate

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. II. Vtraque difficultas, duplici conclusione resolvitur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77355](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77355)

ARTICVLVS PRIMVS.

Quot, & que ponendæ sint dotes in anima beata, & an illæ sint habitus vel operationes?

§. I.

Premittitur quod apud omnes est certum.

1. **S**UPPONIMVS tanquam certum & indubitatum apud Theologos, in beatis dotes debere admitti. Dos enim à Iurisperitis accipitur pro dono quò sponsa dotatur, quando in domum sponsi solemniter traducitur, tum in solatium matrimonij, ejusque sustentationem, tum in ornatum ipsius sponsæ, ut dicitur lege *dotis ff. de jure dotium*: unde cum in beatitudine sit conjunctio perpetua inter animam & Deum, & veluti spirituale quoddam connubium, rectè à Theologis assignantur dotes, quasi ornamenta quædam sponsæ, aliæ quidem ex parte animæ, de quibus in præsentia agimus; & aliæ ex parte corporis, de quibus articulo sequenti.
2. Dices primò: Dos secundum jura non consuevit dari à patre sponsi, vel ab ipso sponso, sed à patre sponsæ: Atqui omnia dona beatitudinis dantur beatis à patre sponsi, scilicet Christi, secundum illud Iacobi 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, de sursum est descendens à Patre luminum*: Ergo dona beatitudinis non possunt appellari dotes, per similitudinem ad matrimonium carnale.
3. Respondeo primò, quod licèt regulariter sponsa dotetur à patre suo, tamen aliquando dotatur à patre sponsi, aut ab ipso sponso, vel in pœnam, ut si ipse seduxit virginem & corrupt, ut dicitur Exodi 22. vel propter inæqualitatem conditionis, ut si puella sit longè nobilior, aut junior; vel denique ex nimio affectu & amore ad sponsam, cujus paupertatem aut desolationem vult dote recreare: unde Genes. 34. Sichem ob ardentem amorem erga Dinam dixit Iacob & filiis ejus: *Augete dotem, & postulate munera*. Et propter hanc ultimam rationem, in beatitudine dos tribuitur animæ beate ab ipso sponso, siue à Christo, ob nimiam scilicet charitatem quæ eam diligit.
4. Secundò responderi potest cum D. Thoma in supplemento quæst. 95. art. 1. ad 2. concessa Majori, negando Minorem: nam *Pater sponsi, scilicet Christi, est Persona sola Patris; Pater autem sponsæ est tota Trinitas: effectus autem in creaturis ad totam pertinent Trinitatem. Unde hujusmodi dotes in spirituali matrimonio, proprie loquendo, magis dantur à patre sponsæ, quam à patre sponsi.*
5. Dices secundò: Dos assignatur sponsæ, & traditur sponso, ad sustinenda onera matrimonij: Atqui in matrimonio spirituali animæ ad Deum, quod incipit in via per fidem & charitatem, & consummatur in patria per clarum Dei visionem, nulla sunt onera, sed potius summa jucunditas & delectatio: Ergo in eo dos assignari non debet.
6. Respondet D. Thomas loco citato in solutione ad 3. quod *dotibus per se conuenit illud quod per dotes efficitur, scilicet solatium matri-*

monij, sed per accidens illud quod per eas remouatur, scilicet onus matrimonij quod per eas leuatur; sicut gratia per se competit facere iustum, sed per accidens, quod de impio faciat iustum. Quamvis ergo in matrimonio spirituali non sint aliqua onera, est tamen ibi summa jucunditas; & ad hanc perficiendam dotes sponsæ conferuntur, ut scilicet delectabiliter per eas sponso jungatur.

Adde quòd, dos non assignatur solum ad sustinenda onera matrimonij, sed etiam ad decentiam & ornatum sponsæ, ut sic decentius jungatur sponso: unde alia est dos naturalis, quæ ipsis fœminis à natura tribuitur, scilicet virginitas & pudor; alia civilis, quæ consistit in bonis fortunæ & diuitiis: ut ergo anima beata exornetur & decoretur, ac decentius cœlesti Sponso jungatur, debent illi assignari & conferri dotes, quando in domum Sponsi solemniter traducitur, & in cœlestem patriam introducitur. Quæritur igitur, quot & quæ sint hujusmodi dotes, & an illæ sint habitus vel operationes?

§. II.

Vtraque difficultas, duplici conclusione resoluitur.

DICO primò: Tres tantum sunt dotes animæ beate, scilicet visio, comprehensio, seu tentio, & delectatio. Ita D. Thomas 1. p. qu. 12. art. 7. ad 1. & in supplemento qu. 95. citata, art. 3. & alij Theologi communiter.

Probatur conclusio ratione fundamentali. De ratione dotis tria sunt: primum est, ut solum in patria conueniat: nam dos datur ratione matrimonij consummati & indissolubilis; matrimonium autem spirituale Dei cum anima, quod hic inchoatur per fidem & charitatem, solum consummatur & redditur indissolubile in patria; adeòque solum in patria dotes sunt admittendæ. Secundum est, quòd ad solum Sponsum dos terminetur & referatur: matrimonium enim facit ut sponsa fiat unus spiritus cum Sponso cœlesti; atque adeò sola illa perfectio quæ cum Sponso coniungit, nomen dotis meretur. Tertium est, quòd eadem dos respondeat solis virtutibus Theologicis: quia enim per illas solum contrahuntur sponsalia in hac vita, juxta illud Osee 2. *Sponsabo te mihi in fide*, ideò dotes matrimonium ornantes illis solum debent correspondere. Atqui (subsumo) solum tribus prædictis, visioni scilicet, comprehensioni, & delectationi, tria enumerata conueniunt: Ergo tres tantum sunt dotes animæ beate &c. Minor subsumpta probatur: & in primis, quòd tres enumerata conditiones, tribus prædictis conueniant, patet: nam illa tria conueniunt animæ solum in patria; eam intimè cum cœlesti Sponso coniungunt; & fidei, ratione claritatis correspondet visio, illiusque imperfectionem & obscuritatem excludit; comprehensio autem correspondet spei, nam per illam tenemus Deum, ad quem currebamus per spem, unde illius imperfectionem tollit; denique delectatio charitatis correspondet, illiusque imperfectionem remouet, quatenus objectum, quod absens per charitatem amabatur in via, sit præsens per gaudium & delectationem in patria: Ergo &c.

Quòd autem nulli alteri perfectioni hæc tria competere possint, videtur etiam manifestum: nam gratia, charitas, virtutes morales, dona

Spiritus Sancti, gratiæ gratis datæ, & similia A
dona vel charismata, communia sunt viæ & patri-
triæ: peculiariæ autem revelationes quas beati
habent extra verbum, aureolæ, & alia gaudia
accidentalia, versantur circa aliquid creatum,
non circa ipsum Deum immediate; neque cor-
respondent virtutibus theologicis, quibus con-
trahuntur sponsalia in hac vita.

Addo quod dos (ut docet D. Thomas loco ci-
tato) disponit & habitat sponsam ad ipsam
beatitudinem, quasi ad conjunctionem cum Deo,
non autem illam comitarur aut consequitur;
unde etiam in civilibus dona quæ sponsus post
consummationem matrimonij largitur sponsæ,
non dicuntur propriè dos, sed sponsalicia largi-
tas, aut donatio inter conjuges: At præfata parti-
culares revelationes, seu charismata, post
beatitudinem consequuntur in anima, nec omni-
bus beatis sunt communia, sicut dotis, sed
quibusdam tantùm, ut aureolæ: Ergo nulli al-
teri, præterquam visioni, comprehensioni, &
delectationi, conditiones ad rationem dotis re-
quisitæ conveniunt. Ex quo solvuntur omnia
argumenta, quæ contra hanc conclusionem fi-
eri solent.

9. Dico secundò: Dotes consistunt in habitibus,
connotando operationes, tanquam proprios
actus.

Est contra plures ex Recentioribus, qui do-
tes animæ non esse habitus, sed actuales ope-
rationes docent; vel supponunt. Est tamen D.
Thomæ loco suprà citato ex supplemento art.
2. in corp. ubi sic ait: *Dicendum quod beati-
tudo & dos realiter differunt, ut beatus dicatur
ipsa operatio perfecta, quæ anima beata Deo con-
jungitur; sed dotes dicuntur habitus, vel dispo-
sitiones, vel quæcumque alia qualitates, quæ or-
dinantur ad huiusmodi perfectam operationem.*
Et in solut. ad 3. *Viso (inquit) dupliciter potest
accipi, uno modo actualiter, id est pro ipso actu
visionis; & sic visio non est dos, sed est ipsa beati-
tudo; alio modo potest accipi habitualiter, id est
pro habitu à quo talis operatio elicitur, id est pro
ipsa gloriæ claritate, quæ anima divinitus illu-
stratur ad Deum videndum; & sic est dos, &
principium beatitudinis..... Et similiter dicendum
ad quarum de fruitione.*

10. Nec valet quod aliqui dicunt, D. Thomam
retractasse illam sententiam hinc qu. 4. art. 3. do-
tes animæ explicando nominibus importantibus
operationem, dum ait: *Necesse est ad beati-
tudinem ista tria concurrere, scilicet visionem, quæ
est cognitio perfecta intelligibilis finis; comprehen-
sionem, quæ importat præsentiam finis; delectatio-
nem vel fruitionem, quæ importat quietatio-
nem rei amantis in amato.* Non valet (inquam)
tum quia in illo articulo non loquitur de visio-
ne, comprehensione, & fruitione, ut sunt do-
tes, sed ut sunt operationes quædam beatitudi-
nem constituentes, vel ad illam pertinentes, nec
ullam planè dotis facit mentionem: tum etiam
quia loco citato ex supplemento, eodem modo
visionem & fruitionem appellat nominibus im-
portantibus operationem; & tamen nulli du-
bium esse potest, ibi tenuisse nostram senten-
tiam: Ergo quòd in eisdem nominibus hinc utatur,
non potest esse signum retractationis. Adde
quòd, ut prædictæ dotes nominibus importanti-
bus operationes explicentur, sufficit quòd illas
in obliquo & de connotato importent, ut asse-
rit secunda pars conclusionis.

Tom. III.

11. Probatum insuper conclusio ratione funda-
mentali, quam idem S. Doctor locis citatis in-
sinuat. Dotes disponunt & exornant animam
ad intimam conjunctionem cum Deo, ut ex su-
prà dictis patet: At visio, comprehensio, &
delectatio, ut sunt operationes, non disponunt
animam ad talem conjunctionem, sed vel sunt
ipsa conjunctio, vel aliquid eam subsequens:
Ergo ratio dotis non actibus, sed habitibus com-
petit.

12. Confirmatur: Ratio dotis transferretur à Theo-
logis ex propria significatione, quæ importat
munus datum sponsæ in carnali matrimonio, ad
significanda ornamenta, quæ animam beatam
perficiunt in supernaturali conjugio: At in pri-
ma significatione, non actum, sed habitum im-
portant: Ergo & in secunda habitum, & non
actum, debent significare.

13. Confirmatur ampliùs: Sicut in matrimonio
carnali nullus, nisi ridiculè, assignari potest pro
dote ipsam consummationem matrimonij, aut
aliquid consecutum ex consummatione, sed ne-
cessariò assignari debet aliquid antecedens, &
quasi habitans & ornans sponsam, ut conjun-
gatur sponso, & traducatur in domum ejus: ita
pariter absurdum videtur, assignari pro do-
tes animæ beatæ ipsam visionem, quæ est ipsa
consummata affectio finis, & conjunctio ad
Sponsum, seu consummatio supernaturalis ma-
trimonij, quod Deus contrahit cum anima bea-
ta, & delectationem seu fruitionem, quæ sunt
operationes post consummationem secutæ: Ergo
dotes animæ beatæ, non in huiusmodi ope-
rationibus, sed in habitibus luminis gloriæ &
charitatis, eas antecedentibus, debent forma-
liter consistere; & huiusmodi actus ad summum
de connotato & in obliquo importare, ut asse-
rit secunda pars conclusionis. Quod ut magis
declaretur, & Adversariorum argumentis occu-
ratur:

14. Advertendum est, duplicem rationem seu for-
malitatem in his habitibus reperiri: nam pri-
mò habent quòd sunt principia eliciendi ope-
rationes, quæ vel sunt consummatio beatitudinis,
vel ad illam sequuntur; & sic non magis induunt
rationem dotis, quàm ipsa consummatio ma-
trimonij: secundò, quòd elevent animam ad
quendam statum altiorem, & dissimilem à statu
viæ, ratione cujus non possunt ampliùs habere
imperfectiones huius vitæ; & sub hac ratione
induunt rationem dotis, id est ornatus, dispo-
sitionis, & habilitationis sponsæ ad illas nuptias
divinas. V. G. lumen gloriæ non solùm habet
munus eliciendi visionem Dei, sed etiam dis-
ponendi intellectum ad recipiendam divinam
essentiam loco speciei, & ita clarificandum in-
tellectum, quòd non sit capax ullius obscurita-
tis & fidei, sed solùm evidentæ & claritatis; &
sub hac ratione vocatur visio habitualiter &
per modum dotis, quatenus ex vi illius luminis
videtur summum visibile, & non remanet in-
tellectus in statu ullius obscuritatis & imperfe-
ctionis. Similiter comprehensio quatenus est
dos, dicit eundem habitum luminis gloriæ,
non ut clarificantem intellectum, & disponen-
tem ad recipiendam essentiam divinam ut spe-
ciem intelligibilem (sub hac enim ratione &
formalitate, ut diximus, constituit dotem vi-
sionis) sed ut tenentem habitualiter ipsam vi-
sionem, quæ est tentio seu comprehensio actua-
lis, ut magis constabit ex infra dicendis. Dos

K ij

denique fruitionis seu delectationis, est ipse habitus charitatis, non ut est principium amoris (sub hac enim ratione reperitur etiam in via) sed ut causans delectationem beatificam, quae specie ab amore differt, & ut sic solum reperitur in patria.

15. Dices: Essentialis beatitudo consistit in operatione: Ergo ornamenta illius, qualia sunt dotes, in operatione, & non in habitu debent consistere. Consequentia patet: operatio enim non dicitur cum proprietate ornari per habitus.

Confirmatur: Dotes matrimonium exornant, ut accidentia illius, & consequenter illud consummatum supponunt: At matrimonium consummatum essentialiter beatitudine consistente in actu: Ergo dotes non in habitibus, qui beatitudinem essentialiter praecedunt, sed in actibus illam consequentibus sunt constituenda.

16. Ad instantiam respondeo, dotes esse ornamenta beati in concreto, non autem beatitudinis in abstracto; nisi ea ratione qua dispositio antecedens vel concomitans formam, potest dici ornamentum illius: Beatus autem habitibus & actibus exornatur, illis ut dotibus, istis ut complemento dotium. Ex quo patet solutio ad confirmationem: dotes enim non tam matrimonium quam contrahentes exornare dicuntur.

S. III.

Corollarium notatu dignum.

17. **E**X dictis inferes contra aliquos ex nostris Thomistis, dotem comprehensionis, neque in relatione ad finem praesentem & habitum in voluntate existentem, neque in habitu charitatis consistere, sed in habitu luminis gloriae, ut tenente habitualiter visionem, quae est tentio & comprehensio actualis.

18. Prima pars patet ex dictis: Nam ex D. Thoma supra ostendimus dotes esse habitus, qualitates, aut dispositiones: Sed comprehensio veram habet rationem dotis: Ergo non in relatione, sed in habitu consistit.

Confirmatur: Comprehensio est terminus inflectionis spei, & illius imperfectionem excludens: At inflectio spei non est ad relationem, sed ad eius fundamentum, per quod spei imperfectio excluditur: Ergo non in relatione, sed in aliquo relationem fundante debet consistere.

19. Secunda pars suadet: Comprehensio idem est quod tentio & assecutio: Sed assequi & tenere objectum, non spectat ad voluntatem, quae assecutiva non est, ut docuit D. Thomas supra qu. 3. art. 4. Ergo comprehensio est habitus luminis gloriae existens in intellectu, qui assecutivus est, & veluti manus intellectualis animae, qua objecta tenet & apprehendit, ut disp. 3. art. 2. fuse expendimus.

S. IV.

Solvuntur objectiones.

20. **O**BJICIES primò: D. Thomas hic qu. 4. art. 3. ad 2. ait: *Sicut ad voluntatem pertinet spes & amor... ita etiam comprehensio & delectatio.* Et in resp. ad 3. *Comprehensio, inquit, non est aliqua operatio, praeter visionem, sed quadam habitu ad finem habitum.* Ergo ex D. Thoma comprehensio spectat ad voluntatem, nec est operatio, vel habitus, sed habitu do voluntatis ad finem jam habitum.

A Respondeo, comprehensionem spectare ad voluntatem, non elicitive, sed objective & terminative, in quantum summum bonum, comprehensum per intellectum, est objectum voluntatis, & finis seu terminus in quo voluntas quiescit.

Ad illud quod subditur, dicendum est comprehensionem importare praedictam relationem in voluntate, non ut constituentem dotem, sed ut quid consecutum ad illam: ex eo enim quod intellectus per lumen gloriae & beatificam visionem finem consequitur, resultat in voluntate relatio seu habitudo ad finem jam habitum, in quo tanquam in termino voluntas quiescit.

B Objicies secundo: Visio & comprehensio sunt dotes distinctae: At visionis dos consistit in lumine gloriae, ut habitualiter Deum vidente: Ergo comprehensio non in lumine, nec in aliquo ad intellectum, sed ad voluntatem spectante, debet consistere.

Respondeo praedictas dotes solum ratione distinguui; ad quod sufficit quod lumen, ut est dos visionis, tendat ad Deum ut clarè videndum, & correspondeat fidei; ut verò comprehensio est, tendat ad Deum, ut voluntati tenendum & proponendum, & correspondeat spei.

C Objicies tertio: Comprehensio est terminus inflectionis spei, ejus imperfectionem excludens: At lumen gloriae non est terminus inflectionis spei, sed potius visio; cum per spem non tendamus ad tenendum per habitum, sed per actum perfectè & consummatè tenentem: Ergo dato quod dos comprehensionis spectaret ad intellectum, non in habitu luminis, sed in actu visionis deberet consistere.

D Respondeo distinguendo Majorem: Est terminus inflectionis spei, exornans & disponens animam ad conjunctionem cum Deo, concedo Majorem: terminus conjungens cum Deo, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: Lumen gloriae non est terminus inflectionis spei, actu conjungens cum Deo, concedo Minorem: exornans & disponens ad conjunctionem cum Deo, nego Minorem, & Consequentiam. Itaque per spem tendimus ad conjunctionem cum Deo, quae fit per visionem, tendimus etiam ad ornatum animae, illam ad praedictam conjunctionem disponentem; & haec secunda tendentia tollitur per lumen gloriae, animam exornans & disponens ad actualem cum Deo conjunctionem: dos autem comprehensionis, non in actuali conjunctione cum Deo, sed in ornamento animae ad illam disponente, debet consistere, ut ex supra dictis patet.

E

ARTICVLVS II.

Quatuor dotes corporis gloriosi explicantur.

QUAE AD MODVM in ingressu beatitudinis anima desponsata Christo, & ad matrimonium, domum, & gremium sponsi, indissolubili nexu ex tunc admitta, accipit tres dotes, scilicet visionem, comprehensionem, & fruitionem, ut articulo praecedenti ostensum est: ita corpus in resurrectione, quando animae beatae conjungeretur, quatuor dotes seu ornamenta recipiet,